

DISSERTATIO MORALIS
DE
LEGITIMA
DEFENSIONE
ADVERSUS INJUSTAM
VIM,

Q V A M
BENIGNO CONSENSU
INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
IN
ALMA LIPSIENSI

d. 3. Mart. M. DCCII.

placidæ Eruditorum disquisitioni
tradit

P R Æ S E S

M. HENR. VVILHELM. FINX,
Luneburg.

R E S P O N D E N T E


JOHANNE EHRHARTO, Regiopontan,
Lusat. S.S. Theol. Studios.

L I P S I Æ,
Literis BRANDENBURGERIANIS.

a. XXXIV. 20.

1103 Coll. diss. A
4834, 20





§. I.



Uamvis vim vi repellere, jura permittunt atque jubent; ut is, qui *aggressorem vel alium quempiam in dubio vitæ discrimine constitutus; occiderit, nullatenus ob id factum, calumniam metuere debeat uti, in Codice ad Leg. Cornel. de sicariis dicitur.* Interea tamen multis ea limitibus venit circumsepienda, quam diligenti consideratione jam rimabimur. In hac tractatione circa vocabulorum expositionem, non diu nobis erit laborandum, cum illorum fermè nullum obscuritate, labore, quæ remoram Lectori injicere possent. Ne tamen decentis ordinis fines transilire videamur, paucis eorundem declarationem dabimus. Per violentam defensionem, offensionis injustæ, ex sola necessitate factam propulsationem; nos intelligere patet. Quot modis defensionis vocabulum aliàs sumitur id apud Juris Consultos præcipuè videre licet. Injusta vis denotat nil aliud, quàm malum, quod aggressor alteri contra fas & meritum inferre intendit. Vox autem legitima denotat modum & terminum, intra quem invasus sese tenere debet, & ultra quem progredi non licet, si defensionem suam legibus conformem haberi cupit.

§. II.

De requisitis ad legitimam defensionem necessariis antequam differamus, in violentæ hujus defensionis *permissionem & obligationem*

A 2

in-

inquirere nobis convenit. In casu extremæ necessitatis defensionem adversus injustam vim permissam esse, neminem ob firmissimas rationes, quibus hæc sententia nititur, in dubium vocare arbitramur. Et primam ejus rationem *ex maximè naturali sese conservandi studio*, desumimus. Homines etenim anxie sibi conservationis suæ curam commendatam habent, mensque eorum ab interitu & iis rebus destructionem causantibus, longissimè alienata est. Huncce suæ conservationis ardentem affectum, non aliam ob causam natura homini indidit; quam ut ad sui defensionem adhibeat, cum frustra natura non operetur. Nec tantum homines ejusmodi stimulus urit, sed & bruta ad eandem curam instigat. Vires quoque singulis animantibus à natura ideo sunt inditæ, ut vitam & corpus tueantur, declinentque quæ nocitura videntur. Vid. Grot. Lib. I. Cap. 2. & Puffendorff. I. N. & G. Lib. II. Cap. V.

§. III.

Deinde validissimum sententiæ nostræ robur accedit, *quod ejusmodi defensio nil cum socialitatis nexu dissentaneum habeat*. Quod si violentæ defensionis proscriptio adesset, animis ad nefandos ausus suscipiendos janua aperiretur. Nam scelestam malitiam absque defensionis metu exercere posse, audacem, inferendi injurias & damna, licentiam præbet. Cum igitur, validæ defensionis metus, ejusmodi malitiosum susceptum infringit; potius paci, quam exitio generis humani conducit. Præterea per impiam legis naturæ violationem, violentus aggressor obligationem omnes homines æqualiter stringentem tollit, seque ad officia pacis recipienda, ineptum reddit. Nec à natura uni, præ altero, certa privilegia sunt oblata, ut adversus eum pax continetur, qui interitui alterius imminet. *Alias omnia bona ut Puffendorff. Lib. II. Cap. V. eruditè differit, quæ natura aut industria nobis peperit, frustra forent concessa, si alteri injustè illa invadenti, vim non liceret opponere, & parata præda improbis expositi forent probi, siquidem illi, hisce vim nunquam deberent opponere.*

§. IV.

Majoribus difficultatibus hæc quæstio involuta est; *an invasus in præ-*

presentissimum & indeclinabile vitæ periculum coniectus, defensionem,
cum invasoris internecione suscipere obligetur; quam affirmare non du-
bitamus. Homo, defensionem, adversus injustam vim licitam esse
agnoscens, utique tenetur sese defendere, quando ex animi terrore,
viribus non destituitur. Quia nullatenus ab impietatis crimine absolvi
poterit, qui ita abjecte, de maximo Dei beneficio sentire, non vere-
tur; per defensionis omissionem regulariter peccat non modo in
ipsam naturam, cujus præcepta violat, sed & rempublicam, quam ci-
ve privat. Quod adeo verum, ut is, qui injustè suæ salutis defensio-
nem negligit, & occidi permittit, damnari queat, non aliter ac si seipsum
occidisset. Vid. Berlich. p. 4. conclus. 12. n. 9. 10. 11. Petr. Anton. de
potest. Princip. c. 26. Cum itaque inter species Homicidii ἀνοχηρία
turpissima, eam avertere quilibet obligatur, nulloque modo com-
mittere debet, nec agendo nec permittendo aut patiando, nec suo
arbitrio talis defensio est relicta, sed necessariò exercenda. Est enim
actus sub obligationis vinculo comprehensus, ad quem Jus Nat. & Di-
vinum nos adstringunt. Quod si vis vitæ nostræ immineat, aliter
indeclinabilis, nisi resistamus, obligatio ex Jure Naturæ ad vitæ &
corporis nostri defensionem nobis incumbit; quod nervosè & so-
lidè Osiander deducit [in Comment. ad Grotium p. 334. Si per su-
periores quilibet non potest se & sua tueri; aggressorem; sicubi
nulla elabendi via patet, tollere, teneri; & si proximo obstrictus est
in tali casu, multo magis sibi ipsi, quando à societate veniunt abscin-
denda, quæ illi inimica sunt: Ad jus divinum si oculos nostros dirigimus
itidem ex eo obligationem derivare possumus, & quidem ex cha-
ritatis præcepto, contra quod peccat. Nam cuilibet amor sui-
met ipsius seriò injungit, ne vitam suam concessam negligat, cujus
custodia à Deo quam maximè demandata. Præceptum illud de non
committendo homicidio satis illam probat. Et cum Deus mandat,
ne occidas, non tantum defensio sui met ipsius non prohibetur, sed
& mandatur. Cum itaque id summæ curæ esse debeat, ne alieni
sangvinis effusione, absque justissima causa maculam conscientiæ
nostræ inuramus; maxima quoque cura annitendum ne vim non
opponendo & nos & alios sangvinis participes reddamus. Vid. Alber-
ti Compend, Jur. Nat. p. 82. Summi sanè Numinis singulare bene-
ficium

ficiū est concessio vitæ, & ideo homini potestas in propriam vitam, ut eandem pro lubitu vel abrumpat vel eripi permittat, non competit; sed expectandum, dummodo Deus cum è statione in qua collocatus, evocat.

§. V.

Putant quidem non nulli eum ἀντοχειάν non committere, qui non resistit, illum, volenti, interficere, aliàs ἀντόχεις foret, si capitis reus adversus carnificem se non defenderet. Verum hic maximum deprehendimus discrimen, quippe maleficus executionem capitalis supplicii auctoritate & mandato Magistratus factam, justam agnoscit, cui resistere nefas judicat. Præsertim cum Carnifex iusta lege permittente & jubente hominem occidit, nec coram DEO peccat. Non enim ex voluntate sed necessitate agit. Uti Magistratus jubens minister Dei est, ita minister ejus jussum exequens talis esse dicitur: A malefico igitur ad insontem argumentari non licet.

§. VI.

Fidem eò melius huic sententiæ facere conantur, ulterius dicendo, quod is ut ἀντόχεις considerari non mereatur, nec cum illo, qui alieno ministerio in sui internecone utitur, comparari possit, quia hic, *proprium homicidium appetit, & jubet, ille, serió abhorret, & saltem non resistit, quæ non resistentia, an ullius peccati justè arguatur*, disceptari solet. Utique autem resistentiæ omissionem peccatum contra semetipsum esse in antecedentibus [evictum], quia etiam ei, qui non impedit, id quod tamen impedire potest, actio venit imputanda, non aliter, ac si in suum interitum influxum præbisset. Si enim ægrotus per certum medicamentum corporis sui sanitatem recuperare posset, sibiq; impedimento foret, sane a mortis sibi illatæ imputatione liberari haut posset.

§. VII.

Alii obligationem agnoscunt, sed perpendendum esse existimant, *an aliorum inter sit, ut qui invaditur, sit superstes, an verò sibi*

sibi videatur vivere, priori casu ad defensionem sui quocunque modo expediendam teneri; posteriori casu inter licita haberi posse, se cum invasoris eade defendere, praesertim ubi vita invasoris multis sit utilis. Verum enim verò terroris magnitudo adeò scrupulosè merita secundum trutinam examinare non permittit. Præterea salutis corporalis & maximoperè æternæ tanquam summi & irreparabilis boni ratio venit habenda in ejusmodi nefando impetu, & anima hominis non semper ad regni cœlestis ingressum parata. Etiam si demus; hominem de statu gratiæ apodicticam habere certitudinem in ipso momento, tamen rationes suprâ adductæ prævalerent, cum lex charitatis vitæ propriæ tuitionem, aliorum vitæ præponere mandat. Nec minus quoque commodum in Rempublicam derivatur, quando ejusmodi malitiosum membrum è medio tollitur.

§. VIII.

Clarissima gentium præcipuè sapientum testimonia prostant. Nota sunt de hac vi, quâ vita defenditur, *Jcti Ulpiani verba: vim vi repellere Cassius scribit & id Jus natura comparatur; Apparet autem, inquit, ex eo arma armis repellere licere. Et celebris Ciceronis locus: Hac non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non constituti sed imbuti sumus: Ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim in tela latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Item: Hoc & ratio doctis & necessitas Barbaris & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possint à corpore, à capite, à vita sua propulsarent. in Orat. pro Milone, Et rectè Ovid. Armaque in armatos sumere jura sinunt.*

§. IX.

Arbitrantur nonnulli; omne homicidium iniquitatem involvere, propterea quod *in se & sua natum turpe sit. Nam J. N. homicidium detestatur ejusque perpetratores gravissima pœna afficiendos dicti.*

dictitat. Verum latet ambiguitas in voce homicidii. Interdum enim generaliter pro quacunque occisione hominis sumitur & sic universalitas assertionis pluribus instantiis potest infringi: Stricte, verò vox homicidii sumpta tale homicidium ab in vaso committi, qui se adversus injustam vim defendit, negamus. Namque *dolus* longe abest nec malitia in Subiecto reperitur, sed anxia eaque naturalis, corpus & vitam suam conservandi & instanti periculo sese eripiendi in ipso cupiditas datur. Si vero aliquis ad *generalitatem* legis refugium sumeret eamque urgere vellet inane illud sanè foret: Sic magistratui maleficos occidendi potestas eriperetur. Certis igitur limitibus lex ista venit circumscribenda, ut eam vetet occisionem, quæ præter fas & meritum nobis contingit. Nec est, quod dicas; naturalem rationem proximi amorem jubere, vi cujus salutem, atque bona omnia ipsorum & vitam omni cum cura & studio conservare & promovere tenemur: Ut proinde vitam alteri eripere nefas videatur, sed videatur; Nam hanc obligationem ut exerceam, ex parte alterius requiritur *aptitudo*, quæ excludit omne recipiendorum officiorum impedimentum. Cum verò injustus invasor vinculum ad mutua pacis & tranquillitatis officia exercenda rumpit, quo adstringitur & periculum vitæ meæ intendit, vis hujus obligationis intercipitur, nec mihi, *ut ipsius personam sacrosanctam habeam, competit*, Vid. Puffendorff. l. c.

§. X.

Præterea quoque religio Christiana non obstat. Quamvis enim aggressor in periculo damnationis versetur, in quod detrudatur si interficiatur: Unde existimant, laudabilius eum facturum, qui occidi quam occidere mavult, aut invasum contra regulas justitiæ peccaturum, quando minus suum malum cum aggressoris majori malo avertere intendit, Vid. B. D. Mullerus in *Der Theologischen Erinnerung zweyer Fragen annex. tract. geistl. Dancz. Witz* in quæst. 2. Tamen hosce scrupulos moventibus satis fieri posse putamus, expendendo rationes, istud periculum quod incurrit, ab ipsius dependere arbitrio, nec mortem invasi, esse medium efficax acquirendi salutem proximi: Efficax quidem est ad conservatio-

nem

nem vitæ alterius, sed huic mea est præferenda. Omissio itaque non est *medium salvandi*, sed saltem *conditio sine qua non*, quam ego præstare non teneor: Per ipsius enim commodum non interverti potest obligatio mea liberandi me à summo incommodo. Deinde is, qui invaditur, non semper est paratus, ut non spatio aliquo componendæ animæ opus sibi putet, & subducendis vitæ rationibus. Nam licet quidem verum, quod vita spiritualis proximi anteponenda sit vitæ corporali meæ, tamen ut eleganter monet B. Ziegler in Notis ad Grot. de J. B. & P. Lib. I. Cap. 3. hoc procedit, *quando hæc necessaria proximo ad suam beatitudinem & vitam spiritualem, sed proximus nos impetens sine jacturâ vitæ nostræ corporalis suam potest habere & tueri vitam spiritualem; Dum igitur ex mera nequitia vitæ meæ insidiatur & ipse nequiter nolendo desistere in periculum animæ se conjicit, non teneor ego nequitia illi meam vitam exponere, sed possum per moderamen inculpatae tutelæ aggressionem repellere.* Nec dicam lege divina non videri præceptum per interitum nostrum alterius promovere salutem, maximè cum ipse invasus certus esse non possit, an sua morte sit impetraturus alterius salutem. Quando ergo de eo dubitat non potest vitam pro alio exponere, morti, cum non tantum alter certo, æterno eximatur periculo, sed etiam causam hic consequi possit eodem modo impostero invadendi alterum, & sic peccata peccatis cumulare, ut recte omnino Excell. Dn. D. Stryck in Dissert. de Foro Conscientiæ Cap. 6. n. 72. notavit. Excell. Rhetius in Diss. de necessar. defensione. Præterea vix videtur probabile, me de anima alterius magis sollicitum esse debere, quam alter iste de sua est. Si ergo iste neglecta animæ suæ cura vitam meam impetat, cur ego pretiosissimæ rei meæ ejusque irreparabilis dispendio istius animam redimam, præsertim cum non constet, an ille damnationem sit evasurus, si vel maximè non fuerit jam occisus, cum itaque sua se conjecerit culpa in hoc periculum, ex quo liberare se potuit sibi hoc imputare debet. Vid. Puffend. J. N. §. 14. d. l. Albert. Cap. III. 13. p. 52. Thomas, Lib. II. Cap. II. p. 266.

§. XI.

Quackerorum Antesignanus Robert Barclajus in der Vertheidigung der recht Christlichen Gottes Gelehrtheit. p. 418. sq. resisten-

B

sten-

stentiam adversus injustam vim illicitam esse probare valde satagit; quapropter multa scripturae dicta in alienum sensum detorquet, ut eò citius huic suo falso asserto cerussam obdusere possit. Maximum pondus Christi effato inesse arbitratur, si quis te cædet in dextram tuam maxillam obverte ei alteram. Matth. V, 39. quæ tamen verba non adeo generaliter sunt intelligenda, ac si plane nullam vim restringentem paterentur. Sermo enim Salvatoris est non de periculo vitæ, sed de malo leviori, cui ex privata & illicita vindictæ cupiditate non sit resistendum; potius summâ patientia esse perferendam alapam, & alteram exhibendam esse maxillam, quam ut vicissim colaphum impingat & ulciscendi animum testetur. Si enim hoc agit, Magistratus jura involat, & contra Deum peccat; Nec officit, quod proximum amare jubeamur. Nam inimici *non simpliciter* sunt amandi, quicquid agant, sed ita diligendi, ne nostræ propriæ salutis simus immemores, præsertim cum amor ordinatus à se ipso incipiat & dilectio nostri prævalet dilectione proximi, Levit. XIX, 18. ubi proximum non *præ nobis sed juxta nos* amare jubemur, quod dictum *non de gradu dilectionis, quam de ejus sinceritate explicandum.* Neminem se ipsum fucato amore prosequi debere, ex quibus non fluit: Si amor proximi & proprio simul satis fieri non possit hunc illi cedere debere. *Præclarum illud est & rectum & verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, eque ac nosmet ipsos amemus, ut vero plus, fieri nullo pacto potest. Ne optanda quidem est amicitia, ut me ille plus, quam se, amet, ego illum plus, quam me, perturbatio vitæ si ita sit, atque officiorum omnium consequatur.* Cic. Tull. Q. 3. Cæterum parum præsidii in cæteris allegatis ab ipso dictis, invenitur. Impertinenter plane illud dictum ab eo 2. Cor. X, 4. adducitur, quo arma militiæ nostræ carnalia, sed divinitus valida ad destructionem munitionum vocantur; Nam Apostoli mens non est de armis ad forum politicum sed Ecclesiasticum spectantibus loqui: uti illud non tollit hoc, ita nec hostes spirituales excludunt hostes corporales; Arma Christianorum, qua talia sunt spiritualia; quatenus verò in foro politico & in judiciis constituti, habent quoque arma corporalia. Quia igitur nexus hujus argumenti nullus est, ita vis planè omnis exspirat. Nec destruunt nostram hypothesein Christi verba, quibus Petro mandatum imponit, ut gladium in suum referat locum: nam qui acci-
pit

pit gladium, is quoq; gladio perire debet. Matth. XXVI. 52. Quamvis prohibitionem utendi gladio in se continere verba, non diffiteamur; tamen non in casu legitimæ defensionis, præsertim cum leges Magistratus pii gladium porrigunt, imo Christus ipse jubet discipulos ut in posterum gladium emant; nullo certe alio fine, quam ut oppositam vim arcere seque defendere possint. Verum hos solum tangunt verba, qui Magistratu legitimo vel non jubente, vel non concedente, nocendi causa gladium usurpant, ut omnes injusta homicidia peragentes faciunt. *Ulciscendi*, animo non verò *defendendi* Petrus ut erat fervidus gladium apprehendit & auriculam Ministri abstulit.

§ XII.

Consideranda nunc veniunt *requisita* defensionem legitimam constituentia. Verum est omnem sui tutelam à crimine absolvi haud posse, sed certum modum à natura præscriptum, quem communiter *moderamen inculpatae tutelæ* vocant. Et in statu naturali aliter sese habet, quam in statu civili, in eo quævis læsio per violentiam repelli potest, imò eo usque invadentem persequi licet, donec ab impio suo conatu desistat: In statu civili angustioribus multo finibus libertas circumscripta, cum sæpius Magistratus auxilium huic malo mederi potest. *Injusta* igitur præcedere debet vis & offensio, per quam periculum vitæ nostræ imminet, nam ubi *justa offensio*, ibi *injusta* & *omnino illicita est defensio*. Violentam, itaque defensionem adversus aggressorem adhibere possumus, quando periculum præsens & *quasi in puncto* adest quod punctum tamen in moralibus & naturalibus sine aliqua latitudine non invenitur. Vid. Grot. Lib. II. C. I. §. 5. de J. B. & P. ita ut tempus & locus non auxilium Magistratus, ad repellendam eam injuriam, ferant; & vita vel vitæ æquipollens in periculum præsentissimum conjicitur, sic cum alter ferrum strinxit & prono impetu in nos fertur, tunc legitimo modo per sui defensionem istud vitæ periculum depelli debet, vindicta verò & cautio de non amplius offendendo magistratui relinquitur. vid. Puffendorff. Lib. II. C. VI. §. 6. Nec sufficit, ut quis duriora verba evomat, & al is externis factis lædendi cupiditatem declaret, modo impræsentiarum viribus non sit instructus, ex quibus mortem subire certo conjicere licet: ejusmodi enim præcipitata nimis tutela à vitio non est immunis. Quod si igitur stricto ferro aliquis me petat, ictum ut nonnulli volunt,

non expectandum esse arbitramur, præsertim cum damnum irreparabile exinde oriatur aut ad defendendum corpus meum, inhabilis reddat. Quodsi enim insultator arma arripiat & quidem ita, ut appareat eum hoc animo occidendi facere, occupari potest facinus. v. g. si cum ense occurrat, & evaginare minetur, si sclopetum præparet; tunc potentia nocendi cum voluntate efficaci conjuncta, quam ex circumstantiis conjecit, pro actu habetur, satius est, uti JC. loquuntur, ab initio subvenire, quam post vulneratam causam remedium quærere, vel ut Terentius Act. IV. Scen. 6. tu quid cavere possis stultum est admittere.

§. XIII.

Præterea modus justus requiritur: Nam defensio offensionem proportionata esse debet, ut nempe in periculo vitæ constitutus non nisi cum aggressoris cæde illud periculum effugere possit. Exinde patet, quod, si quis periculum sibi intentatum evitare possit, ad id omnino teneatur nec ad extremum hocce remedium recurrere debeat; Hinc dijudicare licet de illa quæstione, an invasus ad fugam obligatus sit & R. Affirmando. Nam cædes invasoris non prius legitima quam fugæ via interclusa. Interea tamen hæc Thesis restringenda, quando nempe per fugam certissimam periculi evitacionem habere possumus. Nec indignum militari Viro & turpe in ejusmodi fuga deprehenditur, quippe quæ non ex ignavia vel neglectu officii proficiscitur, sed eam capessit, quia nullam fortitudinis exserendæ materiam invenit. Nam citra necessitatem nemo est occidendus quando me tutum Magistratus commode præstare potest. Si igitur tuto & omnimodè fieri non possit, sibi potius quam aliis consulere tenetur; præsertim cum ille, qui gladium ad sui corporis defensionem prætendit, non in re illicita versetur, sed arbitrio invasoris relinquit, velit ne impio suo proposito absistere, an vero in scelere perseverando tutelarem enses incurrere, & de vita sua periclitari. vid. Henning. ad Grot. de J. B. & Puff. Lib. II. Cap. V. Non enim credendum tergum invasoris crudelibus manibus esse exponendum aut cessim eundem, cum illud vulneribus sit obnoxium & hinc à lapsu periculum immineat & quia periculis magis pateamus aversi, qui semetipsum in fugam se conjecit, ubi forte spatium eidem non amplius supersit, aut velocitate pedum invasor præcellat, non ita facile gradum componere potest,

est, ad excipiendum adversari impetum. Ergo ubi in proximo non patet suffugium, quo quis tutò se possit recipere, moderamen inculpatae tutelæ non transgreditur qui pectus potius invasori opponit quam per fugam corpus ictibus præbet. Paritas armorum etiam desideratur, ut legitima defensio contra injustam vim sit observata, non quidem ratione specierum, sed ratione periculi intentati, unde si rusticus clava me peteret, dubium non est quin gladio meo, me commode defendere possim quia ex clavæ ictu mors mea sequi potest. Vid. Carpzov. Criminal. Quæst. 18. n. 27.

§. XIV.

Tertium requisitum est tempus legitimum, hoc suum capit initium, quando alter vitam meam impetendi, voluntatem certo prodit, & nocendi instrumentis instructus ad me accedit, tunc impune aliquis in sui defensionem occidere alterum potest. Sic enim e. g. petit aliquis vitam meam stricto gladio, ego verò sclopeto sum instructus, etiamsi longiuscule à me distat, ac gladio, me contingere non valet, displodere in eum utiq; possum; nam si nimis appropinquaverit, sclopeto meo uti non possum: nec culpa redundat in eum, quod prius arma adhibuerit; nam legitima defensio non desiderat, ut quis antequam eam expediat, alterius impetum excipiat, sic pessimè innocentia consultum foret, ob anceps, quod tales insultus comitatur, periculum. Porro ad id spectat ut defensio fiat, *in continenti, non ex intervallo*, incontinenti verò fieri dicitur, si durante offensione suscipitur defensio, antequam ad extraneos actus progreditur, tunc non ampliùs vis infertur & iudicis copia haberi potest, unde id *ultionem non defensionem sapit*, utpote si aggressor inflicto vulnere, fugam capeffat, læsus eundem consequens atque percutiens à culpæ & poenæ reatu non erit immunis, cum satis ulciscendi animum prodidit, secus si invasor percussione facta instisset, ictum repetiturus, tum enim percutiendo ipsum invasus novo periculo viam obstruit, non vero priorem injuriam vindicat. Perturbatio autem & dolor animi omnia ad vivum refecare non solum, sed propter imbecillitatem mentis humanæ veniam & comiserationem

nem mereri & consentaneum æquitati videtur, ut non ordinaria, sed extraordinaria pœna in foro civili sit constituta. Perdurat autem illud tempus legitimæ defensionis usque aggressor rejectus vel pœnitentia ductus vel quod eventus conatum destituerit.

§. XIII.

Expositis singulis legitimæ defensionis partibus ac momentis, jam ad amplitudinem illius digrediendum, videndumque, quam late jus se defendendi pateat, cum enim nonnulli sunt nocentes nonnulli innocentes, illos æque ac hos occidere licet. Singulare equidem privilegium parentibus Deum & naturam in jure offendendi respectu liberorum concessisse certum. Ut igitur nos generantibus propter castigationem resistere scelestissimasque manus inferre horrendum & execrandum facinus foret; cum omnia jura eos honore & amore prosequi nobis seriò injungant. Sed hoc verum, quando parentes potestate legitima à Deo concessa non abutuntur, nec emendationis cancellos egrediuntur. Quodsi enim per præcipitem iracundiæ fervorem, paternum affectum exuant, & mortem liberis immaturent, ut durissima, ne morte excepta perferre debeant & vel armis invadant, aut diro modo tractent, ut nec precibus nec declinatione ictuum paternorum nec fugâ nec alio modo periculum avertere possint; defensione etiam cum inter necione parentum recte utuntur. Nec potestas eorum non adeo extendenda; Nam tenerrimus amor à natura nobis implantatus & obligatio adstringunt, ut vitam nostram conservemus. Offensio enim ista est injusta & illicita, cum paterna potestas non in atrocitate sed pietate consistat. Hinc parens paternum vinculum rumpens latroni, quam Patri similior est. Nemini igitur vitio verti debet, quod suam alterius salutem præferendam putet. Præterea dissentientium præsidium, quod in beneficio generationis ponunt, plane nullum est; Idcirco enim quia vita nostra ipsis venit adscribenda, ergo pro ipsis iterum deponenda? Nexus plane invalidus. Non enim propria & independente parentum virtute nos generati sumus, sed benedictioni summi Numinis nostra generatio est adscribenda: & quamvis influxu parentum vitam habemus, tamen eam adimendi facultas ipsis non competit. Sicuti enim non nosmetipsi, ita nec illi arbitri nostræ vitæ existunt, sed ea, tamdiu divina providentia vult, ad gloriam & utilitatem uti debemus.

§. XV.

Non inelegans sese hic offert Quæstio, qua controverti solet, an nimirum sacerdos in templo sacra peragens, aggredientem jure interire valeat? ut cædes commissa nullius injustitiæ accusari possit. Sed absque omni iniquitate, sacerdotem sacro officio vacantem manus alterius sanguine cruentare & postmodum interruptas res divinas ad finem perducere arbitramur. Versatur in actu licito, quo perpetrato se ad stationem suam recipere, & divino cultui, ut ante, præesse potest. Quod si verò infans morti proximus baptizandus vel ægroto in agone constituto sacramentum offerendum, an aggressoris vim dimissis favoris inhibere debeat. Quæ quidem primo intuitu neganda videtur, præsertim cum sacerdos, illud munus omittendo, rectè officio suo haud fungi videtur. Cum ipsius salus salutem ovium postponenda non verò præponenda; juxta salvatoris dictum Joh. X. Nec minus periculum jam expiranti infanti & moribundo per omissionem sacrae cœnæ & baptismi accedere videtur. Veruntamen meritò affirmativa sententia apprehenditur, quod de obligatione ex supra dictis apparet. Nam quomodo sacerdos posset sacra peragere, si non imminens vitæ periculum propulsaret, sed huc facit, quod Seneca dixit: Dandum alteri esse, non ut quis indigeat, succurrendum perituro non ut vitæ suæ offeratur periculum, nec periculum damnationis infans & moribundus involant licet usu sacramentorum priventur. Nam Bernhardus bene judicavit, non privationem sed contemptum damnare.

§. XVI.

Coeterum mala causa tutelam inhibere non potest. Quamvis in re illicita & notoria turpitudine versetur, quam ob causam pœnam meruit; tamen nisi Magistratus sit legitimus, eam infligere non potest; Unsi privatus propter illatam sibi injuriam vim extremam opponat, ipsius insultus per defensionem avertere cogitur. Exin apparet, posse adulterum in flagranti crimine deprehensum, æstuantis mariti sanguine instantem vim remove. Quod enim Jus Civile marito veniam impertire vult, quem justæ æmulationis fervor ad cœdem adulteri in flagranti crimine adegit, impunitas ista non excutit in vaso arma, quæ adhibet, sed aggressorem à pœna absolvit.

§. XVII.

Quamvis plerumque improbus nocendi animus adesse deberet, id tamen

tamen

tamen perpetuum esse negamus, quod contra *Winclerum de principio Juris Lib. IV. Cap. X p. 413.* observandum, qui ad animum respiciendum esse putat, utrum offendens dolo & malo consilio an ignorantia egerit? Nam ex errore ductus vel infania aggitatus alterum aggreditur & tunc legitimam prætendi defensionem posse existimamus. Etiam si enim errans jus alterum occidendi, habeat, errorem vero in persona committit, tamen illud, jus suum, quo minus extrema sibi opposita avertat, non evertit. Nam ad innocentiam ejusmodi defensionis sufficit, quod alteri non sit jus ad me invadendum vel occidendum, nec in me est obligatio, mortem citra resistantiam sustinendi. Nec obstat quod proæresi careat adeoque non delinquat. Nam defectus ille proæreseos invadenti excusationem præbet resp. pœnæ, non vero infringit invasi jus; *Amor enim proprius & obligatio in ejusmodi casibus hæcæ considerationes superant & homo præ cæteris se tueri tenetur & sic imminens malum sibi causatum in Autorem si alio modo res non sit expedienda recidere potest.*

§. XIIX.

Ad privatam concertationem provocati, innoxam sui tutelam prætere non possunt. Quando à provocantibus in angustias rediguntur ut aut ipsi pereant aut alterius vitam ictu tollant; nam leges, ne hocce, subirent periculum, vetabant. Peccant vero contra Deum, quod seipos ulciscuntur, vindictæ causa ad digladiationes pervenitur, cum privata vindicta illicita & Deo & Magistratui demandanda. Peccant in proximi Duellatores, nam omnes, cū hos ut semetipos amore complecti debent, ira & odio adeo inardescunt, ut de ipso interficiendo & corpus vulnerando cogitent. Denique in se ipsos peccant, dummodo vitam cujus prodigi sunt, ancipiti eventui exponant, nec quicquam lucri habent si enim vincuntur, tunc vel membris corporis mutilantur, vel animam ira & odio plenam ex infelici corpore effundunt. Justo meritoq; igitur pœna afficiuntur nec excusationem in defensione inveniunt.

Materia equidem non deficeret; qua ulterius hocce thema deducere possemus eundo ad plures quæstiones an & pro bonis, pro alapæ inflictione legitima defensio possit suscipi. Verum hic finem huic labori tenui imponere jubemur; Interim altissimo Numini pro concessis viribus grates persolvimus debitas, maximas, eique nostraque studia commendamus.

F I N I S.

Coll. Diss. A. 34, MISC. 20